



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio XX. De comparatione & gravitate peccatorum. ad q. 73.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



pronuntientur distinctæ sententiæ, constat diversorum pœnitentium absolutiones nullam habere subordinationem, aut unitatem moralem.

13. Colliges septimò. Illum qui longo tempore omittit restitutionem rei alienæ injustè detentæ, non nisi unum peccatum committere, quamdiu voluntas detinendi rem alienam per contrariam

voluntatem non revocatur, cum prima voluntas in ipsa rei detentione, seu effectu voluntario virtualiter remanere, & omissionem restitutionis causare censetur, donec illa voluntas per revocationem interrumpatur, vel moralis influxus ipsius per subsecutam impotentiam restituendæ discontinuetur.

## DISPUTATIO XX.

DE

### Comparatione & gravitate peccatorum.

ad q. 73.

**I**N peccatis ad se mutuo comparatis consideratur in primis connexio, deinde æqualitas vel inæqualitas peccatorum in gravitate tum essentiali, tum accidentali, quæ omnia Angelicæ doctrinæ ordine paucis discutimus.

#### ARTICULUS I.

*An omnia peccata sint connexa?*

##### SUMMARIÆ.

1. *Afferitio negativa probatur auctor. S. Script.*
2. *Et ratione.*
3. *Quomodo secundum D. Jacobum offendens in uno sit omnium reus.*
4. *Discrimen inter virtutes & vitia.*
5. *Irremissibilitas unius peccati sine altero non probat nisi similitudinariam connexionem.*

##### §. I.

*Resolutio negativa.*

**CONCLUSIO.** Non est ea peccatorum connexio, qui unum commisit, etiam contrahat malitiam ceterorum.

Probat primò auctoritate S. Script. 3. Regum c. 15. ubi dicitur, quòd David non declinaverit ab omnibus, quæ præceperat ei DEUS, excepto sermone Uria, h. e. peccato adulterii, quod commisit cum Bersabea uxore Uriæ, & homicidio commisso in cæde ipsius Uriæ: ergo licet David fuerit reus homicidii & adulterii, non tamen fuit reus aliorum peccatorum.

2. Probat secundò ratione. Si omnia peccata inter se haberent connexionem, tunc etiam objecta peccatorum haberent connexionem, siquidem unitas & distinctio peccatorum ex objecto desumitur, quod per se terminat intentionem peccantis: sed objecta peccatorum non habent inter se connexionem, siquidem sunt bona sensibilia inter se disparata, imò quandoque contraria. Unde.

Probatur tertio. Peccata, sicut & vitia quandoque sunt inter se contraria, veluti constat in avaritia & prodigalitate: sed inter contraria nulla est connexio: ergo.

##### §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

3. **O**bjicies primò. Tunc peccata sunt inter se connexa, quando quis unius peccati reus, sit

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

reus omnium peccatorum, sed ita fit, affirmante D. Jacobo ep. c. 2. *Quicumque totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus.*

Respond. distinguendo maj. quando fit reus omnium peccatorum formaliter & ex parte conversionis, concedo; si similitudinariè, aut ex parte aversionis, nego majorem. Unde textus D. Jacobi hæc est explicatio, quòd, qui in uno offendit contra legem, fiat omnium reus, non quasi omnia peccata contrahat, sed quia æquè avertitur à DEO ultimo fine, amittit gratiam, & charitatem, fitque reus poenæ æternæ, ac si alia quæque peccata mortalia commisisset. Item dicitur omnium reus, quia offendit contra charitatem, unde pendent omnia, & quæ est finis totius legis, ut exponit D. Aug. ep. 29. vel etiam, quia est reus violatæ legis divinæ, quæ est collectio omnium præceptorum.

Objicies secundò. Quantumvis virtutes habeant objecta inter se diversa, tamen inter se sunt connexa: ergo etiam non obstante diversitate objectorum, vitia & peccata inter se sunt connexa. Consequentia probatur: Virtutes inter se habent connexionem, quia reducuntur ad unum principium amoris DEI: ergo etiam vitia & peccata habent connexionem, quia reducuntur ad unum principium amoris proprii & propriæ commoditatis.

Respondeo, disparitatem esse, quòd virtutes earumque actus, quomodocunque objecta sint diversa, per prudentiam coordinantur ad unum finem, & bonum rationis; e contra vitia & peccata ordinantur ad fines disparatos, & quandoque oppositos. Ad probationem respondet S. Doctor. ad 3. quòd peccata reducuntur ad sui perversum amorem, tanquam ad principium segregativum, quia amor sui disgregat affectum hominis in diversa, prout scilicet se homo amat

C c 2

appeten-



appetendo sibi bona temporalia, quæ sunt varia & diversa. Virtutes econtra reducuntur ad amorem DEI tanquam ad principium congregativum à multis in unum, ac propterea virtutes connexionem habent, non autem vitia.

5. **Objicies tertio.** Unum peccatum mortale non potest remitti sine altero: ergo habet connexionem, cum illo. Consequentia probatur: Quia una virtus non infunditur sine altera, rectè inferitur, quòd virtutes infusæ ad invicem habeant

connexionem: ergo etiam ex eo, quòd unum peccatum non remittitur sine altero, rectè inferitur, quòd habeant connexionem ad invicem.

Respondeo distinguendo consequens: ergo peccata sunt inter se connexa similitudine & ex parte averfionis, in quantum scilicet unum convertit à DEO & inducit reatum pœnæ æternæ, licet alterum, concedo; & propriè & formaliter, quasi committendo unum committeretur & alterum, nego consequentiam.

## ARTICULUS II.

### *An omnia peccata sint æqualia?*

#### SUMMARI A.

1. *Peccata sunt inæqualia.*
2. *Propter inæqualem repugnantiam cum bono rationis.*
3. *Quandonam una privatio possit esse major alterà?*
4. *Genus quomodo æqualiter participetur ab inferioribus?*
5. *Peccatum non est infinitum in ratione malitiæ.*
6. *Peccatum actuale causaliter est mors anima.*
7. *Peccata omissionis sunt inter se inæqualia.*
8. *Item peccata habitualia.*

#### §. I.

##### *Resolutio negativa.*

1. **E**rror Stoicorum fuit, quòd omnia peccata sint paria; contra quem est communis sententia, & nostra

**CONCLUSIO.** *Peccata sunt inæqualia tam ratione culpæ, quam pœnæ. S. D. a. 3.*

Ultraque pars est de fide. Prima habetur Thren.

4. *Major effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum, &c.* Et Joan. 19. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Altera pars habetur Matth. 11. *Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.*

2. Ratio primæ partis est: Quantitas malitiæ moralis desumitur ex quantitate repugnantia cum honestate virtutis & bono rationis: sed hæc est inæqualis, sicut & ipsa honestas: ergo pariter quantitas malitiæ est inæqualis. Minor constat, quia ut mox dicetur, juxta præstantiam & honestatem virtutis crescit gravitas inhonestatis oppositi vitii & peccati.

Ratio secundæ partis ex prædicta est: quia juxta regulam justitiæ vindicativæ quantitas pœnæ commensuratur quantitati culpæ: ergo, cum quantitas culpæ sit inæqualis, etiam erit inæqualis mensura pœnæ.

#### §. II.

##### *Solvuntur Objectiones.*

3. **O**bjicies primò. Una privatio non est major alterà: sed malitia formaliter consistit in privatione: ergo unius peccati malitia non est major malitià alterius peccati.

Respondeo negando, vel distinguendo maj. privatio quæ tollit totam formam oppositam, non est major alterà, transeat major; quæ non tollit totam, nego majorem. Sed peccati malitia

formaliter consistit in privatione non tollente totam formam oppositam, concedo; tollente, nego min. & consequentiam.

Inquis: Forma opposita est recitudo: sed malitia peccati tollit totam recitudinem, alii quippe actus simul esset bonus & malus habendo unam recitudinem, & non habendo alteram: ergo malitia peccati tollit totam formam oppositam.

Respondeo negando minorem: nam licet malitia peccati nullam secum recitudinem formalem compatiatur, illam tamen solum recitudinem formaliter tollit, cui ex malitiosa tendentia voluntatis opponitur: aliarum vero bonitatum & recitudinum absentiam tantum negativè materialiter, & concomitanter conjungitur.

Objicies secundò. Genus æqualiter participatur à suis speciebus: sed ratio peccati est generica respectu omnium peccatorum: ergo æqualiter in omnibus participatur.

Respondeo distinguendo majorem. Genus æqualiter participatur, quantum ad præclaritatem rationem generis, concedo [si tamen sit genus univocum]; quantum ad differentiam superadditam, nego. nam, ut S. D. q. 2. de malo a. 9. ad 1. *Omnia animalia sunt æqualiter animalia sui bono, non tamen sunt æqualia animalia; sed unum animal est altero majus & perfectius.*

Objicies tertio. Unum infinitum non est majus altero: quòdlibet peccatum est infinitum, ergo nullum peccatum est majus altero.

Respondeo vel neg. vel dist. min. Peccatum est infinitum in ratione offensæ, transeat; in ratione malitiæ, nego. ergo peccata sunt æqualia in ratione offensæ, transeat; in ratione malitiæ, nego consequentiam. Rationem disparitatis dicitur qui tuentur infinitatem offensæ simpliciter dictam, quòd quantitas offensæ in peccato determinatur à quantitate personæ offensæ, ut in deo hæc autem est simpliciter infinita; econtra quantitas malitiæ desumitur à quantitate objecti quatenus apprehensi per intellectum; hæc autem apprehensio semper est finita & inæqualis.

Objicies quarto. Peccatum est, & dicitur mors animæ per analogiam ad mortem corporalem: ergo sicut mors corporalis est æqualis omnibus morientibus, ita peccatum in peccatis.

Respondeo, peccatum actuale, de quo hic loquitur,



mo, esse mortem animæ causaliter, sive ut loquitur S. D. effectivè, in quantum causat privationem gratiæ & charitatis; unde non est paritas cum morte corporis formali, consistente in pura privatione vitæ corporalis.

## §. III.

## Corollaria.

7. Colliges primò. Etiam peccata omissionis inter se esse inæqualia; siquidem rectitudo & honestas actuum, quibus opponuntur, est inæqualis; alia quippe est honestas in restitutione rei alienæ, cui opponitur ipsius omisio, & alia honestas religionis in auditione Sacri, cui opponitur omisio Sacri.

8. Colliges secundò. Etiam peccatum habituale personale, seu maculam peccati non esse æqualem in omnibus. Nam primò voluntarium terminativum, quod est effectus voluntarii formalis, mensuratur juxta quantitatem voluntarii formalis, à quo causatur: sed, ut suppono, macula peccati est voluntaria terminativè, causata nimirum, & relicta ex actu peccati formaliter vel virtualiter voluntario: ergo mensuratur, & consequenter etiam diversificatur juxta quantitatem & diversitatem actualium peccatorum. *Secundò.* Quia privationes distinguuntur ad distinctionem formarum oppositarum: sed forma opposita pec-

cato habituali, nempe gratia sanctificans, est inæqualis, in uno intensior, in altero remissior; ergo etiam peccatum habituale, consistens in privatione gratiæ, est inæqualis. Nec refert, quòd peccatum habituale dicatur mors animæ; mors autem est privatio totalis, & æqualis in omnibus. Nam mors corporis ideo est æqualis, quia vita, cujus est privatio, non suscipit magis & minus; at vita animæ, quæ est gratia, suscipit magis & minus: ideoque etiam privatio opposita, nempe peccatum habituale est inæqualis. Si dicas: privatio in facto esse non suscipit magis & minus; sed peccatum habituale est privatio in facto esse, uti mors corporis: ergo.

Respondeo. Privatio in facto esse formæ non recipientis magis & minus, est talis, concedo; formæ recipientis magis & minus, nego. Dicitur nihilominus privatio in facto esse, seu privatio pura, quia tollit totum bonum oppositum gratiæ sanctificantis.

Dixi: peccatum habituale personale, ad excipiendum originale, quod æqualiter reperitur in omnibus hominibus; tum propter unitatem causæ, quæ est inobedientia Adami, tum propter unitatem formæ oppositæ, quæ est justitia originalis infundenda animæ, si Adam non peccasset. Unde etiam poena damni, quam parvuli sine baptismo mortui patiuntur, est æqualis in omnibus.

## ARTICULUS III.

## Unde desumenda sit gravitas peccatorum?

## SUMMARIUM.

1. Gravitas essentialis peccatorum sumitur ex objecto.
2. Circumstantiæ speciem mutantem tribuunt gravitatem essentialem.
3. Peccatum præstantiori virtuti oppositum est absolute gravius.
4. Accidentales circumstantiæ possunt in moralis estimatione augere gravitatem peccati.
5. Gravitas peccati crescit ex nocimento.
6. Maxima gravitas in peccatis contra DEUM.
7. Peccata spiritualia graviora carnalibus.
8. Cur peccata contra castitatem sint graviora peccatis contra fortitudinem?
9. Cur odium amici sit pejus, quam odium inimici?
10. Gravitas accidentaliter sumitur a circumstantiis speciem non mutantibus.
11. Quid gravitas extensiva?
12. Intensiva crescit ex quantitate objecti.
13. Item ex intentione peioris finis extrinseci.
14. Et ex dignitate persone offensa.
15. Quando nam peccatum aggravetur ex circumstantia personæ peccantis.

## §. I.

## Regula agnoscendi gravitatem essentialem.

1. **A**lia est peccati gravitas essentialis quoad speciem, alia accidentaliter quoad intensiorem, vel extensionem malitiæ moralis. Nunc de gravitate essentiali instituta quaestione, sit

**CONCLUSIO.** Peccata gravitatem essentialem accipiunt ab objecto. S. D. q. 73. a. 1. Ratio ex præcedentibus est: Inde peccata accipiunt essentialiter gravitatem malitiæ, unde capiunt specificam & essentialem differentiam suæ malitiæ: sed hanc accipiunt ex objecto, prout dictum; ergo ab objecto quoque accipiunt gravitatem essentialem, ita ut quanto objectum in se habetur gravius, tanto gravius quoque sit ipsum peccatum secundum specificam & essentialem rationem malitiæ. Hinc

Colliges primò. Per circumstantias speciem mutantem peccata essentialiter aggravari; quia istæ circumstantiæ transeunt in rationem objecti, prout dictum in Tr. de Act. hum. Sed ab objecto sumitur species essentialis: ergo. Ideo gravior est species adulterii, quam fornicationis, quia superadditur ad malitiam fornicationis circumstantia injuriæ erga conjugem, quæ speciem mutat, & addit novam oppositionem cum virtute injustitiæ.

Colliges secundò. Illud peccatum esse simpliciter ceteris paribus & quoad speciem gravius, quod præstantiori virtuti opponitur, quia nimirum habet objectum magis repugnans rectæ rationi. Unde etiam Philosophus 8. Eth. c. 10. dicit, id esse pessimum, quod optimo est contrarium, & corruptio optimi pessima. Quæ tamen regula ne fallat, tres condiciones ad oppositionem cum aliqua virtute debent concurrere. Primò, ut oppositio utriusque peccati, inter quæ instituitur comparatio, in modo opponendi con-



veniat. Ideo omisso Sacri precepti v. g., est multò levius peccatum, quàm furtum, & homicidium, quia licet habeat oppositionem cum præstantiori virtute, nimirum Religionis, eidem tamen solùm indirectè & mediâtè opponitur; immediatè quippe opponitur determinationi temporis ad DEI cultum ab Ecclesia præscripti: dum econtra furtum & homicidium habent directam oppositionem cum virtute iustitiæ.

Altera conditio est, ut oppositio fiat respectu objecti primarii, & non in uno respectu objecti primarii, in altero respectu secundarii. Ita majus est peccatum infidelitas, quàm odium proximi, quia licet odium proximi habeat oppositionem cum virtute charitatis, quæ est simpliciter præstantior quàm fides, cui infidelitas opponitur: hæc tamen oppositio tantùm est respectu proximi, qui est objectum secundarium charitatis, cum tamen oppositio infidelitatis sit respectu veritatis divinæ, quæ est objectum primarium.

Tertia conditio est, ut in oppositioe cum virtute superiori non includatur oppositio cum virtute superiori: sic enim adulterium est peccatum gravius furto, quia præter oppositionem cum castitate, habet simul oppositionem cum superiori virtute iustitiæ.

Dixi tamen, simpliciter ceteris paribus & quoad speciem &c. ex quo non impeditur, quin aliquod peccatum ex objecto & specie levius, ex accidentalibus tamen circumstantiis in morali existimatione longè majorem malitiam contrahat, & majori poenâ dignum judicetur: nam sicut magnus cumulus argenti excedit in morali existimatione modicam quantitatem auri, quamvis istud simpliciter sit nobilius argento, ita propter circumstantias moralem existimationem augentes, & damna in bonum commune redundantia, longè gravius censetur peccatum latrocinari, integram villam deprædari, &c. quàm blasphemare, licet hoc simpliciter ex objecto & specie sit gravius, Unde etiam

Colliges tertio cum S. D. a. 8. Essentialem gravitatem peccati augeri ex majori nocumento, quia per nocumentum quod proximo per peccatum infertur, actus peccati trahitur ad novam speciem scandali, injustitiæ, &c. Porro nocumentum tripliciter se habere potest. Primo, ut sit prævisum, non tamen directè intentum: Secundò, ut sit prævisum, & simul intentum; Tertio, ut nec sit prævisum, nec intentum. Primo modo gravitas nocumenti tanquam indirectè, saltem voluntaria indirectè aggravat peccatum. Secundo modo directè, utpote directè voluntaria. In tertio modo distinguendum est: Vel enim nocumentum nec prævisum nec in se intentum per se sequitur aut comitatur actum peccati, veluti scandalum sequitur ex publica fornicatione: & tunc etiam aggravat peccatum: quia, quæ per se sequuntur ad aliquem actum aut continentur in illo, saltem implicite & virtualiter sunt voluntaria, neque respectu ipsorum datur invincibilis ignorantia, siquidem possent & deberent prævideri. Vel nocumentum tantummodo per accidens est conjunctum, ut si puer ex petulantia hominem pilâ petens præter intentionem oculum ipsi excutiat: & tunc ex nocumento pecca-

tum non aggravatur, quippe quod nec in se, nec in causa est voluntarium, nisi cum neglectus debita considerationis accessit, tunc enim nocumentum fit interpretativè voluntarium, ut si quis explodens bombardam erga fenestram alienam domus, occidat hominem assidentem.

Colliges quartò. Maximam gravitatem per se loquendo reperiri in peccatis contra DEUM, & primariò in iis, quæ sunt contra DEUM immediatè, nempe repugnantia virtutibus Theologicis, ut odium DEI, desperatio, & infidelitas. Secundariò in iis, quæ mediâtè sunt contra DEUM, nempe opposita virtutibus Religionis & pietatis, ut idololatria, blasphemia, impenitentia, sacrilegium, &c. Proxima his in gravitate sunt illa, quæ pugnant contra proximi bonum, quod quidem magis illa, quæ substantiam, quàm quæ externa hominis bona oppugnant. Nam ut S. D. a. 3. illud peccatum est majus, quod opponitur majori bono virtutis: sed peccata contra DEUM opponuntur majori bono virtutis: similiter inter peccata contra proximum, quæ lædunt substantiam hominis ut homicidium, oppugnant ipsum hominem qui est majus bonum, quàm destructio, quæ famam; furtum, quod temporalia & externa hominis bona oppugnat.

Colliges quintò. Peccata spiritualia ceteris paribus esse graviora carnalibus, eò quòd pugnant contra motivum virtutis præstantioris, quàm peccata carnalia: siquidem illa infelicitatem bonum DEI vel proximi, ista verò solummodo peccant in corpus proprium. Ubi tamen advertit S. D. è S. Gregorio, quòd peccata carnalia sunt majoris infamiae, quàm spiritualia, cum sint contra delectationes homini brutoque communes; adeòque hominem infra naturæ suæ dignitatem deprimentes.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

Obijcies primò. Fortitudo est virtus præstantior, quàm castitas, & tamen timiditas opposita fortitudini est ex genere suo tantùm veniale, econtra peccata contra castitatem sunt ex genere suo mortalia: ergo non bene inferuntur in Coroll. 2. quòd peccata præstantiori virtuti opposita etiam ipsa sint graviora.

Respondeo, in comparatione timiditatis & peccatorum carnalium deficere tertiam conditionem insinuatam: nimirum, quòd in peccatis contra castitatem etiam involvatur repugnantia contra virtutem præstantiorem fortitudinem, nempe iustitiam aut pietatem: nam in adulterio fit simul injuria conjugii; in stupro, aut rapto fit injuria virgini, vel parentibus, in fornicatione simplici læditur bonum prolis; in incestu involvitur irreverentia sanguini; in peccatis contra naturam fit injuria ipsi DEO ordinatori naturæ. Ut habet S. D. 2. 2. q. 154. 2. 12. ad 1.

Obijcies secundò. Quamvis dilectio inimicorum sit actus perfectior, quàm dilectio amicorum, tamen non sequitur quòd odium inimicorum, quàm odium amici: ergo peccatum non sequitur, quòd actus oppositus perfectiori virtuti sit gravius peccatum, quàm actus oppositus virtuti minùs perfectæ.

Respond.



Respond, negando consequentiam: quia in actibus, qui diversis virtutibus opponuntur, desumitur gravitas ex diversis motivis & rationibus formalibus virtutum; sed in peccatis quæ intra eandem virtutem, v. g. charitatis, diversis actibus virtutis opponuntur, non semper habetur diversitas ex diversa ratione motivi, sed quandoque solum ex diversitate objecti materialis. Ita fit in proposita instantia: nam odium amici diversificatur ab odio inimici ex diversitate boni creati nobis conjuncti, quod prohibemur odio habere: hoc autem est objectum materiale; cumque bonum amici sit nobis conjunctius, quam bonum inimici, propterea actus iste per se est pejor accidentaliter, quam odium inimici. Sic pariter amor amici ex parte objecti materialis est perfectior, quam amor inimici, quia amicus est bonum magis conjunctum: Nihilominus cum ratio diligendi, quæ est bonitas divina, magis influat in dilectionem inimici, quam amici, sitque illa longè magis ardua, & à proprio amore remotior, propterea est formaliter multo perfectior dilectio inimici, quam amici. Ita S. D. 2. 2. q. 27. a. 7.

## §. III.

*Regula agnoscendi gravitatem accidentalem peccati.*

Gravitas accidentalis peccatorum consistit in eorum majori intensione, vel extensione, de qua fit

**CONCLUSIO.** *Accidentalis gravitas peccatorum desumitur à circumstantiis speciem non mutantibus.* S. D. 2. 7.

Ratio est: Gravitas accidentalis malitiæ moralis accipitur à principio, quod est accidentale respectu actus humani; sed accidentalia actus humani in genere moris sunt circumstantiæ speciem non mutant: [quæ enim speciem mutant, transseunt in conditionem objecti] ideoque vocari solent circumstantiæ merè aggravantes: ergo major minorve gravitas accidentalis malitiæ moralis accipitur à circumstantiis speciem non mutantibus. Unde

11. Inferes primò. Illud peccatum esse gravius extensivè, quòd intra eandem speciem malitiæ afficitur pluribus circumstantiis propriam afferentibus gravitatem, vel quod repugnat pluribus præceptis solum individualiter distinctis. Sic v. g. gravius peccat prodigus, quando sua bona non tantum expendit in fines indebitos, sed etiam cui non debet, ubi non debet, quando non debet, &c. Gravius peccat contra præceptum jejunii, qui comedit carnes in pervigilio S. Matthiæ incidente in feriam 4. temporum Quadragesimæ, quam qui in alio simplici die jejunii carnes comedit.

12. Inferes secundò. Peccati gravitatem non tantum extensivè, sed etiam intensivè augeri ex majori quantitate objecti: unde gravius longè est furtum centum, quam decem aureorum, de prædatio integri gregis, quam unius bovis.

13. Inferes tertio. Peccati gravitatem intensivè augeri non tantum ex majori conatu & intensione voluntatis; sed etiam ex intentione pejoris finis extrinseci. Prima pars per se patet: quia peccatum est tantò intensivè gravius, quantò magis est voluntarium: sed quantò intensior est

voluntas peccandi, tantò magis est voluntarium: ergo. Secunda partis ratio est: quia finis operantis, seu extrinsecus est causa actus humani, & sic quantò est pejor, tantò majorem quoque malitiam influit in actum.

Inferes quartò. Quantitatem seu gravitatem peccati crescere secundum conditionem & dignitatem personæ, contra quam peccatur. S. D. a. 7.

Ratio est: quòd peccati gravitas augetur juxta majorem quantitatem & gravitatem objecti: sed quando per peccatum aliquod læditur & offenditur persona dignior, tunc objectum peccati seu malitia, objectiva est major, quam cum offenditur & læditur persona minus digna: ergo. Minor constat: quia læsio personæ seu offensa activa habet pro objecto personam læsam, unde quò illa persona est major & dignior, tantò objectum quoque læsionis est majus. Unde habetur primo, peccatum mortale contrahere quodammodo infinitam gravitatem in ratione offensæ, siquidem persona, quæ per illud offenditur, nimirum Dominus DEUS, est infinita dignitatis.

Habetur secundo, peccata, quibus offenduntur personæ sacræ, & DEO vel ratione statûs, & officii, ut Clerici, Religiosi, Sacerdotes; vel ratione virtutis magis conjunctæ, ut homines sancti; vel quibus personæ publicæ, & Superiores, quæ DEI vice funguntur, læduntur, esse graviora: injuria quippe aut læsio ejusmodi personis illata, propter specialem illarum conjunctionem cum DEO, redundat in ipsum DEUM: ideoque Zach. 1. dicitur: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Habetur tertio. Etiam illa peccata esse graviora, quibus offendimus personas nobis magis conjunctas, vel ratione sanguinis, vel beneficiorum &c. his enim magis læditur ordo charitatis; sicut enim ordo charitatis præcipit, ut nos ipsos præ aliis rectè diligamus, ita magis vetat, ne nos ipsos, quam alios offendamus: ergo pariter præcipit, ut eos qui nobis sunt magis conjuncti, & quasi aliqua pars nostri, minus offendamus.

Habetur quarto. Peccatum tantò esse gravius, quantò potiores tangit: Ita gravius est peccare in personam publicam, quam privatam; in illam, quæ est celebris famæ in aliqua Religione, S. Ordine, quam quæ est exigua, aut nullius, &c. Habetur quinto. Si conditio personæ sit impertinens respectu alicujus peccati, peccatum non augeri ex gravitate illius, tunc enim conditio est extra objectum ipsius: sic furtum v. g. ex eo non aggravatur quòd fiat personæ divini, Principi, &c. nam conditio personæ non ita propinque attingitur, sicuti per inhonorationem, vulnerationem, homicidium &c.

Inferes quinto. Peccata etiam posse aggravari ex circumstantia personæ peccantis, ita quidem, ut peccata ex subreptione, sive infirmitate naturæ provenientia tantò sint minor, quantò persona peccans est major in virtute; peccata verò ex malitia & perfecta deliberatione sint tantò graviora, quantò persona peccans est major in virtute, vel munere accepto à DEO, ut inquit S. D. hic a. 10. Ratio primi est, quòd illud peccatum est levius, quòd fit cum minori negligentia, sed peccatum ex subreptione ab homine virtuoso committitur cum minori negligentia; hoc ipso quippe,



quippe, quod est virtuosus, adhibet majorem diligentiam ad illa evitanda quam alius. Ratio secundi est, *primò* ab opposito, quod homo virtuosus propter majora auxilia & media facilius possit evitare peccata, ideoque illa committendo sit negligentior. *Secundò*: quia quanto quis majora accepit beneficia, tanto magis est ingra-

rus deliberatè offendendo suum benefactorum. *Tertiò*: quia ex peccato hominis virtuosus, vel in aliquo majori gradu constituti plures scandalorum occasionem accipiunt. *Quartò*, quia multa sunt peccata, quæ altiori vel sanctiori statui specialiter repugnant, sicut injustitia statui Principis, fornicatio statui Religiosi, vel Sacerdotis, &c.

## DISPUTATIO XXI.

DE

### Subiecto peccatorum.

**N**on est sermo de remoto subiecto, quod haud dubiè est creatura rationalis, sed de proximo, sive potentiis animæ. Neque loquimur de peccato in esse actus physici spectato, quo sensu rursus certum est, peccatum in potentiis, imò & membris externis subiectari posse? quis enim dubitet, impudicum aspectum femine hoc modo consideratum in oculo, illicitam deambulationem in locomotivâ & membris exterioribus residere? Quæritur ergo cum S. D. hîc q. 24. utrùm peccatum moraliter spectatum, partim secundum rationem voluntarii, partim secundum formalem rationem malitiæ, & deformitatis, subiectetur in potentiis à voluntate distinctis, nempe ratione, [cuiusque superiori vel inferiori] appetitu sensitivo, &c. & quia non minus utilior, quam potior questio hoc loco moveretur de morosa delectatione & consensu in actum, eidem paulò operosius immorabimur.

### ARTICULUS I.

*An præter voluntatem detur aliud subiectum formalis peccati?*

#### SUMMARIÆ.

1. Quoad rationem voluntarii omne peccatum est in voluntate.
2. Membra & sensus externi non sunt subiectum peccati formalis.
3. Voluntas est subiectum peccatorum etiam quoad rationem malitiæ.
4. Peccatum formaliter subiectatur etiam in ratione, & appetitu sensitivo.
5. Probat ex habitibus.
6. Objectiones.
7. Solvuntur.

#### §. I.

*Subiectum peccati etiam est intellectus & appetitus sensitivus.*

1. **C**ertum est primò, quod omne peccatum quoad rationem voluntarii intrinsecè subiectetur in voluntate. Cujus ratio est: Omne peccatum in tantum est voluntarium, in quantum elicitive vel imperitive, directe, vel indirectè est à voluntate: si elicitive, tunc est ipsemet actus voluntatis; si imperitive, tunc saltem dependet ab actu pratico imperii, in quo actus voluntatis includitur. Item si directe est à voluntate, tunc est propter actum voluntatis formaliter, aut virtualiter influentem; si indirectè, tunc etiam vel propter aliquem actum voluntatis, qui est causa vel occasio omittendi, vel certè propter liberam cessationem, & dormitionem voluntatis, hîc & nunc omittentis actum, quem posset & deberet

ponere; sed omnibus istis modis voluntarium intrinsecè est in voluntate.

Nec refert, quod S. D. q. 15, de ver. a. 3, ad 1, dicat: *Peccatum dicitur esse in voluntate non sicut in subiecto, sed sicut in causa.* Nam Resp. mentem S. Doctoris esse, quod non omne peccatum sit in voluntate secundum rationem deformitatis & malitiæ, bene autem secundum rationem voluntarii; nam hoc ipso, quod omne peccatum sit in voluntate tanquam causa, etiam est in ipso subiective, quatenus id, ratione cuius causatur & pendet à voluntate, est intrinsecè in voluntate.

Certum est secundò. Membra, vel potentias sensitivas externas non esse subiectum peccati formaliter sumpti; nam ubi nulla reperitur, quod imperfecta & participata indifferentia aut libertas, ibi peccatum formaliter non subiectatur; sed in membris & sensibus nulla est ipsa libertas vel indifferentia reperitur; membra quippe tantum sunt organa & instrumenta operandi, serviliter subiecta despotico rationis imperio; unde nec sunt alicujus habitus virtuosus vel vitiosus capacia. Idem dixeris de potentia & loco-motiva, quæ sunt determinatæ ad unum suosque actus ex necessitate producant.

Certum est tertio. Peccata etiam quoad rationem malitiæ formalis & moralis in voluntate subiectari: quia cum voluntati per se primo competat formalis ratio liberi & voluntarii, usque sit proprium versari circa finem, & quidem ultimum, propterea ratio libera deordinatur à desin-